SIDVS ALLOBROGVM: SEV S. FRANCISCI DE SALES, EPISCOPI GENEVENSIS, CONSECRATIO.

AVTHORE
IACOBO ALBANO GHIBBESIO, M.D.
ac in Romanâ Sapientiâ Eloq Prof.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Ex Typographia Fabij de Falco, M. DC. LXV.
Sumptibus Pontij Bernardon, ad Inſigne Virtutis.
SVPERIORVM PERMISSV.

SALES. SAL ES.

S. Paulin. ad D. Auguſt. Epiſt. 31.

O *Verè* Sal terræ, *quo præcordia noſtra, nè poſſint ſeculi vaneſcere errore, condiuntur. O lucerna dignè ſupra candelabrum Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis Vrbibus de ſeptiformi lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licèt Hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici ſermonis enubilas! Os tuum fiſtulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim &c.*

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sac. Palatij Apoſt.

O. Archiepiſc. Patrac. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus. Sac. Palat. Apoſt. Magiſter.

SERENISSIMO INVICTISSIMOQVE

HEROI,
CAROLO EMANVELI II.
ALLOBROGVM DVCI,
SVBALPINORVM PRINCIPI,
CYPRIORVM REGI.

PAridem (vt eſt in Poetarum fabulis) aureum Diſcordiæ pomum, in quo erat ſcriptum, *Detur pulchriori*, cùm id tres primæ maiorum gentium Deæ, propoſitis ingentibus donis, enixè pro ſe quæque peterent, iudicium aiunt tuliſſe ſecundum Venerem. Valeant commenta, quantùm merentur: hæc certè fictio rei geſtæ, quam dicam, adumbrat proximè veritatem. Sollicitum habe-

habebat me nuper anceps cogitatio, è tribus maximis Principibus, quos in promouendo Venerabilis Viri, FRANCISCI SALESII cultu latè apud gentes præcipuè noram exercitos, cui ego potiſſimùm laudum illius nunc dedicati hunc faſciculum, veluti lectum quendam & illuſtrem Παραδείσου (vt cũ Xenophonte loquar: mitto enim in re ſacra illa Homerica, Phæacios, Heſperidum, & Adonios hortos) fructum deſtinarem: quandò ea demùm peruicit ſententia, vt, qui patriæ ſolum mortali ciui Dominus tribuiſſet, illi ipſi pulchrum hoc præconium eiuſdem iam Cœlicolæ cum inſcriptione, *Detur digniori*, iure quodam ſuo redderetur.

Celſitudini ergò *Regiæ Tuæ* munus iſtuc adiudico libens volenſquè, CAROLE EMANVEL, *Dux Sereniſſime*, ſeù mancipio & nexu, ſiuè vſu & fructu, ſingulariter debitum, ac propriè tuum. Non magis enim vaſtam iſtam mecherclè maiorum tuorum imperij & gloriæ creuiſti hęreditatem, quàm in hanc quoquè poſſeſſionem *Saleſianæ* Sanctitatis poſuiſti pedem. Longum foret ire per omnia capita legitimi iuris. Annales, tabularia, hiſtoriæ conſulantur de patrocinio veſtræ gentis, dequè illius vernacula ſeruitute. Quę

mutua

mutua quidem tum officia, tum merita in te deriuata conſiſtunt. Quodcunque *Carolus Emanuel*, clariſſimum ſapientię lumen, auus tuus, FRANCISCI cauſa præſtitit, vel augendo honoribus eum quàm ampliſſimis, vtpotè quem fecerat Magnum Sabaudię Eleemoſynarium, vel adiuuando pios ipſius conatus & labores aduerſus Hęreſin per agrum Chablaſij diſſeminatã; quodcunque *Victor Amedeus*, & *Chriſtina Francica*, religioſiſſimi parentes, operę aut ſumptus vita functo impenderunt, vt diuinam Indigetis adoream Pontificis Max. decreto atque diplomate procurarent, id totum ad decus redundat tuum.

Tu rem diù, non negatam illam quidem, ſed extractam hactenùs & prorogatam abſoluiſti; tu connitente *Ludouico*, Chriſtianiſſimo Rege, apud ALEXANDRVM, Dei Vicarium, ſuapte natura, quę illius erat de ſanctimonia Geneuenſis Antiſtitis bona exiſtimatio, ad id currentem, glorioſę in terris Apotheòſi manum vltimam impoſuiſti. Per te nunc licet apertè palamquè inuocare SANCTVM, adire precibus, thure ac votis per aras venerari. Pręijt ALEXANDER, ſummus Sacerdos, auctor & magiſter publicæ religionis, voce & exemplo ſuo per hos dies iu Vaticano;

quę gens, quę natio tam diuerſa erit & longinqua, quin ſequatur? Magnificè ſanè prouiſum iamdudùm fuit à *Chriſtinâ Auguſtâ*, tua genitrice, cultorum omnium congruę reuerentię atquè pietati; pretioſiſſima Theca, quę DIVI cimeliarchium eſſet, vt influeret præſentiùs, Aneſſij expoſita.

Quamobrèm fruere iſto tanto bono, SERENISS. PRINCEPS, hęreditario ac domeſtico, ſine riuali, támetſi non ſine inuidia: gaudequè in ſinu, liquere cunctis, cùm inter homines polleas plurimùm, te item apud Superos, Ciue hòc tuo medio, non parùm habere poteſtatis. Vale, & vtrobiquè regna.

Romæ, ab ædib. Exc. Princ. Iuſtiniani, 19. *April. ipſo die Dedicationis*, M.DC.LXV.

REGIAE CELSITVDINI TVAE

Addictiſſimus ſeruus, & cliens

I. A. Ghilbeſius.

AD

AD LECTOREM.

TAmetſi quidquam, quod meum non ſit, meis aut ſcriptis inſerere, aut alıter quidem diuulgare inter noſtra, qualiacunque ea fuiſſent, ægerrimè ſemper potui, ea re maximè, nè corniculæ fabulam refricarem; quoniam tamen in argumento diuino verſari mihi hoc tempore contigit, id publicæ prærogatiua fidei; quæ foris omninò accerſiri debet, ſtabiliendum atque obſignandum putaui. Dederam hos equidem Epiniciorum verſus Beatiſſimo Patri ac Domino Noſtro ALEXANDRO, diuina prouidentia Pontifici Maximo paulò antè creato, manu propria exaratos, ſine huiuſmodi adminiculo, quippe Viri nec ignaro, & ſummarum virtutum eius perſtudioſo: iam cùm eoſdem edo tibi, minùs fortaſſis inſtituto, hoc placuit Epitaphium Tononienſe præmittere, (quæ Vrbs palæſtram illi & arenam fecerat viuo) vt hiſtoricis annalibus crederes, pigmentis poeticis oblectarere.

D. O. M.

VENERABILI FRANCISCO DE SALES,
Epiſcopo ac Principi Gebennenſi,
pro generis & ſanctitatis nomine
verè Illuſtriſſimo,
pro gloriæ & meritorum amplitudine
Reuerendiſſimo,
Catholicæ fidei propugnatori potentiſſimo,
Hæreſum expugnatori acerrimo,

colla-

collapſæ pietatis reſtauratori ſolertiſſimo.
Quem
Sanctimonialium inſtitutio, & regularis reſtitutio
Patriarcham;
Euangelica prædicatio, & Hæreticorum ad fidem reuocatio
Apoſtolum;
grauiſſimi labores, & frequentia ab Hæreticis pericula
propè Martyrem;
paſtoralis dignitas, & ingens Eccleſiarum ſollicitudo
verè Pontificem;
doctrinæ & ſcriptorum ſublimitas, ſynceritas pietatis
Doctorem;
morum integritas, ſanctus pudor, & ſingularis caſtimonia
Virginem fecerunt.

VRBS TONONIVM
illius doctrina & operibus,
Caluiniſticis erroribus erepta,
& Eccleſiæ reſtituta,
Apoſtolo ſuo, Liberatori ſuo, Reparatori ſuo
Trophæum poſuit.

Obdormiuit in Domino Lugduni,
28. Decembr.
M. DC. XXII.

AD

AD S. FRANCISCVM DE SALES, EPISCOPVM GENEVENSEM.

In eius Apotheôſi ab ALEXANDRO VII. Pont. Max. ritualibus ceremonijs effatâ, celebrataquè in Baſilica D.Petri 13.Kal.Maij. 1665.

O D E.

IAm plenis rutilat clarus honoribus ;
Maiorique iubar fulgure proijcit ,
Solis more librantis
FRANCISCVS medium diem :
Talem quippè , ſator terrigenùm , Deus
Finxit ſepoſito cautiùs è luto
Cæli Herôa futurum ;
Talem credere tradidit ,
Solenni roſeæ lampade gloriæ ,
Praeuectum populo ſidera Pontifex :
Cui ſtat limen Olympi
Toto mobile cardine ,
Quo mens cunque volet nomine vertere ;
Seù ſontes abigit , ſiuè merentibus
Dextra claue recludit
Axem cœtibus aureum .

Hoc te iure ſacris conſpicuum infulis ;
Baccatô lituo, & punicea ſtola,
Immiſit ; bone Paſtor ;
Æterni indigetem Poli.
Lux, nec menſis erit poſt Cythereius ;
Mutat feſta dies turpia candidis :
Longe Flora faceſſat ;
Cum Baccho valeat Ceres.
Hinc diuina virûm flamma dabit graues
Aprili titulos ; ſanctior aſpici :
Ducit Paula *Calendas,*
Idus proferet Allobrox.
Quàm diſpar Veneri copula cælitum !
FRANCISCIS vt vtriſque altera gratia !
Illum Roma dicauit ;
Nunc ſignat minio nouum,
Faſtorum memores quò moneant libri
Inſtaurare decus thuribus annuis.
Ambos Gallia plaudit
Dulci mittere de ſinu !
Centum parte alia ſibilat anguibus
Fœdo Lerna lacu : Lerna SALESIO
Quantùm infenſa Lemani,
Victori velùt Herculi !
Fruſtrà : nàm meritas hoc magis aggerat
Laudes, ætherei præmia pectoris ;
Liuens vt crepet Hydra ;
Miris Relligio modis.

Virtuti geminos addere turtures
Prægeſtit, niveá ternaque lumina
Ceræ: congrua factis
Argumenta nitentibus.
Vt Petri ſuperant culmina turtures,
Et ſplendent vario fornice lumina;
Sic te, SANCTE, ſequemur,
Lactiſquè & facis æmuli.

S. D. N.
ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

EPINICIA
FRANCISCI SALESII.

EVectum meritis fer ad æthera tu quoquè verſu
Muſa, [1] virum; fœdi preſſit qui monſtra Lemani
Obluctantem Hydram, & criſtas Pythona mouentem
Nequicquàm: ille feris accidit [2] ſibila colla
Tot capitum, rabida ora domans, fregitquè venenum;
Ille pias animas, & ſanctos ordine cœtus
Præceſſit, duxitquè palàm, ſerpentibus atris
Tortores latè terræ cœloquè futuros.
Alcides erat alter, erat quandò altera Lerna:
Nec minùs exuuijs conſcendit [3] victor opimis:
Sidera, & indigetis non audit fabula Diui.
Gantemus claro lætum Pæana triumpho.
Victor iò, [4] FRANCISCE, comas præcingere lauro:
Pone procùl vittas, necte redimicula mitræ,
Infulaué impediat, linum & nunc exue tantùm,
Dùm canimus: maculoſus amat vel tigridis horror
Induci potiùs, vel terga Leonis, & vngues,
Herculis [5] in morem, validis pendere lacertis.
Paſtorale pedum mutetur robore clauæ;

Seù

Seù iuuat enſe magis crudeſcere, fortis Orion
Hunc dabit. Indè ſuos toto cum lumine currus,
Et frontis radios nitidæ, callemquè ſerenum
Sufficiat Titan, meliore in parte ſedenti
Ipſe auriga tibi, non dedignatus honorem:
Tum rutili ſtellarum ignes, atquè aurea ſigna
Ad celſum glomerentur ebur, formamquè ſuperbæ
Aſſimulent pompæ. Rerum pinxiſſe figuras
Nil opus; obliquæ referent animalia zonæ
Quicquid erit, pulchro cæli variata colore,
Vt libeat titulos, ac ſumma oſtendere facta:
Quàm facilè aduerſo collum fulgore columba
Vertit agens, aut ſe cùm mollibus obtulit herbis
Paruulus ille Leo, qui veſcitur aëre tantùm,
Arida vicino diſtinguit corpora fuco.
Hac Solis facie, tali ſpectandus amictu
Exere ſacratos vultus, terramque iacentem
Deſupèr illuſtra, atquè humanos accipe plauſus:
Mòx notas repetes arces, & gaudia Diuùm.
Hic me [6] *præconis fungentem munere clari,*
Lætitiæ cauſas, & fercula quæque docentem,
Audiat arrectus, quo viderit ordine, mundus,
Et læto clamore ſonos, & mente ſequatur,
Conſueta vt tanti procedant lege triumphi.
Eccè vir, [7] *eccè ille eſt, rupta quem nube videtis*
Inſtare ardenti curru, SALESIVS Heros;
Virtutis pugil excelſæ, dùm terra ferebat,
Nunc pars magna Poli. Pro te quis ſæua recuſet

Bella

Bella pati, Virtus, crudamquè per omnia mortem;
Si tales palmas, ſi vltoribus aſtra rependis
Diua, tui, & das Superùm traducere vitam!
Naſcentis pueri felix [8] *cunabula primùm*
Allobrogum regio vidit; quem candida mater
Ad Rhodani ripas Chableſia iugera circum
Effudit genitori alto, dotalibus aruis
Maiorem cenſum. Non iuſti [9] *temporis illa*
Suſtinuit partus, Chriſti mantilia [10] *poſtquàm*
(Camberio quæ forte Aneſis tùm vecta colebat)
Eſt tetigiſſe datum, & rorantem Sindona guttis,
Relliquias dulces: quin prolem aſpergine tinctam
Ederet, octauum Lunæ prægreſſa laborem;
Viſendi ſtudio quid tantum clauderet aluo.
Senſit enim obiectu turbari ſanguinis almi,
Spem ſimùl impreſſit lacti. Ceu vellera fœtus
Prægnans mutat ouis, conſpecto cortice virgæ,
In croceum lutum, Chananæo grata magiſtro;
Sic deſiderijs matris, ſic Numinis oſtro
Concolor emicuit cœlo chariſſimus infans.
Ex illo, [11] *Crucis auguſtæ nutribat amorem,*
Sanguineaſquè notas, clauos, & ſpinea texta,
Verberaquè, triſtemquè ſcyphum, crudamquè ſariſſam;
Obuerſari oculis, & figi corde volebat:
Hæc palmis, hæc ſemper ouans attollere verbis.
Iamquè Antenoreas [12] *eductum Roma per artes*
Læta docet iuuenem ſupremi iuſſa Tonantis,
Datquè nouas reduci leges, ac talia fatur:

Vade

Vade agè, cura Dei, vires, atquè anchora noſtra
Fluctibus his, cæco miſcent qui turbine gentes,
Præpipuè Alpinas cordi tibi; (perfidus ex quo
Beza[13] *faces acuit, ſcelerumquè immanior author*
Intulit heu! miſeræ Caluinus prima Geneuæ
Sulphura:) & ardentem medij per ſtagna Lemani
Eripe nunc Petri cymbam: torrere iuuabit
Corda hominum, tantis deuota piacula flammis.
Venundent alij clamoſo[14] *iurgia Circo*
Non ſua: conuellant leges, & legibus orbem:
Diſcernant lites, faciantquè pericula primi;
Terrarum Domini; paſcit diſcordia faſtum:
Tu populos premere ad pacem, FRANCISCE, memento,
(Hæ tibi erunt cauſæ) cæloquè intendere mundum,
Plaudere ſinceris, & deplorare malignos.
Nec te Camberici[15] *ſubſellia prima Senatus,*
Regis amor Cyprij, tali præ munere tangant;
Maior iura dabis, fulgentis prætor Olympi.
Neù debere nurum[16] *matri, thalamiſquè paratis*
Pro reditu cures: fuge connubialia pacta,
Falle iugum ſociæ; quid enim, niſi vincula, coniux?
Ipſe adytis[17] *templi Deus, & candentibus aris*
Deſpondet florem hunc cui, ſanctumquè miniſtrum
Vult ſibi: flauentes adeò de vertice crines
Primitias carpet, Regumquè aptabit honorem.
Protinùs vt creſcet vertex,[18] *creſcetis honores:*
Hanc linquit Ducibus curam, Auſonioquè parenti.
Ille dabit claris demùm virtutibus[19] *axem:*

Surget

Surget ALEXANDER, numen [20] *qui firmet in orbe.*
Dixerat; & complexa ſinu dimiſit euntem,
Aethereum inſpirans ignem. Sacer halitus olli
Suffixit pennas; liquido ſic agmine fertur
Impiger, ac patrias ſubitò ſupereminet Alpes;
Accingitquè operi ſidens in vallibus imis.
Hæcquè adeò [21] *longi iàm cernitis alta laboris*
Præmia, Mortales, tot parti ſigna trophæi
Victorem ante ipſum cœli ad Capitolia ferri.
Aſſertæ columen gentis, meta vnica vitæ,
Laurigeri prima arma Ducis, portatur in altum
Crux veneranda, [23] *loci præiens diſcrimine magno;*
Alituum ſtipata choris diuina canentum
Carmina, perquè vices pennis atquè ore ruentum.
Non ſecùs, atquè olim vernis in Solibus Hyblæ
Cerea cùm mellita phalanx ſtat mœnia circum,
Aëream prædam aſſeruans; pars oſcula libant;
Pars ſtringunt pedibus ſummis, tanguntquè volatu,
Nulla diù inſiſtit; denſo fremit aura ſuſurro:
Arboris hæc ſacræ ſpecies. Sunt picta beati
Inſtrumenta [24] *viri, longè quæ deindè ſequuntur.*
Illa (videtis?) habent [25] *ſparſas quæ ſigna coronas;*
Scutaquè, loricaſquè, & equos, Naupactia roſtra,
Atque togam, chlamidemquè Rhodi, Latiumquè galerum,
Antiquæ decora ampla domus, ſub imagine mortis
Contemptorem animum cum voce, Reliquimus, *ornant.*
Proxima [26] *quæ virides* Meliorem *carbaſa* Partem
Oſtentant inſcripta ſinus, fluitantquè per auras,

Atque

Atque cruces, mundumq; ſacrum, caliceſque, libroſq;
Puluinar ſimul inuoluunt, lituoſque, tiaraſque,
Et lychnos, & ſiſtra ſuper, & thuris acerras,
Delicias puræ monſtrant, & gaudia mentis.
Aſt vbi Cæſarei [27] Veni Viciquè *leguntur*
Ex auro tituli; contrà pugnante Dracone,
Cui centum ora micant linguis exerta triſulcis;
Trunca, tamen peſtem ac virus colla vſquè retentant;
Craſſa cubile palus, tetra-fumoſa mephyte:
Hoc immane gerit peplum, Phrygia arte decorum,
Purpureum; vittiſque ſequens vndantibus albis.
Aſpicite, ingentem quantus conſurgat in haſtam,
Vulnera ſæua parans longis ceruicibus heros;
Vt capitum minuat turbam; per ſquamea terga,
Per fauces, per cuncta ruat ſpiracula monſtri,
Bellator: contrà laceros vix tortibus ægris
Prouoluit ſerpens artus, & condit in vlua
Semineces: furit ore tamen ſeque ipſe flagellat,
Vipeream multo adducens molimine caudam.
Non iam finitimis properat diffundere, vt antè,
Lernæam ſaniem, Cadmææuè ſemina campis,
Saucius. Exemptas afflatu mæret [28] *Alingas,*
Chableſiquè locos, Terneri pinguia culta,
Foſſignum, Galiarquè, &, qui ſuper iſta, Tononem,
Vnius inuitus latebris hærere Geneuæ,
Tum quoque nec tutus nimiùm, dubiuſq; repelli.
Hùc auidis, hùc cuncti oculis: hos [29] *cernite Reges,*
Pontificeſq;, Duceſq; ſimùl, turbamq; potentem

C *Fæmi-*

Fœmineam , vulgi iuxtà preſſantis aceruos ,
Vrbes præterea varias poſt terga micantes .
Agnoſco paſtoris opus , documenta magiſtri
Feruida ; ſolliciti pendent dicentis ab ore :
Gallicus ante omnes Henricus , Martis alumnus :
Ille tonat roſtris . Vt geſtit nomine velum
Nomen , onuſquè patris Sal terræ *ferre SALESI ;*
Mille modis Zephyro alludens ! Qui fronte coruſca
Libri autem ſtrinxere aciem , pariterquè vehuntur ?
En duo cæleſti figenda [30] *volumina gyro*
(Nam recolo , Theotime , legens , Philo te thea , quantum
Et decus authori , & fructum mortalibus ambo
Donaſtis quondam) Libræ , velut aſtra , ſodales ,
Aeterni teſtes operum , ac monumenta priorum .
Altera [31] *ſuccedit legio certo ordine rerum*
Geſtarum , intextis auro pulcherrima gemmis .
Signa volant . Decuit verbis famularier acta .
Et primùm vitæ ſtudia illaudata caducæ
Deflentum cætus ſeſe mirantibus offert ,
Pallidus ora , pedes nudus , velamine cinctus
Corpora funereo , gaza miſerandus in ipſa ;
Vt ſi viminibus nudet quis terga Sabæis ,
Aut caput Hectoreus metat enſis . It agminis auctor
Exemplo medius raro pater optimus , illos
Et pœnæ [32] *ſocios , & fratres dicere ſuetus .*
Hæc Aneſina cohors . Quæ verò confluit vnda
Ingens parte alia , præclara Lutetia mittit ,
Diuitijs , populoquè potens , & quæ loca radit

Sequa-

Sequana, per Vogeſum diuerſas viſere gentes
Præceps. Carmeli ciues in verba Tereſæ
Iuratas Pariſina nouis [33] *Accaria clauſtris*
Tradit Amazonidas; ſe princeps ædibus infert,
Ipſius egregijs monitis, & viribus vſa.
Quid mirum, in dubijs quandò [34] *Vallenſis, & acer*
Firmam rebus opem ſubmiſſa voce [35] *Berullus,*
Quæſiuere viri: Laurente hic notus in oſtro,
Sacri idem ritus auſpex; caput ille ſeueræ
Ac lux Sorbonæ, pariter virtute, vel arte?
Vos ego quinetiam, ſublimia pectora, teſtor,
Purpurei proceres, & ſanctæ fulmina Romæ,
Bellarmine [36] *pater, Perroni, tequè Baroni;*
Quanquàm alias multum diuerſi fœdere linguæ,
Dicite corde pares, quæ tunc oracula vobis,
Quæ reſponſa dabat: ſed vos magis omnibus alti
Dicite Pontifices, queis cura vicaria Cæli,
Tu Leo, [37] *tu Clemens, tu coniunctiſſime Paule,*
Is quibus ad ſuperas gradibus peruenerit oras,
Quidue paret, iam Diuum hoſpes conuiuia ducat.
Et vidiſtis enim, & dictis ſtat gloria veſtris.
Sed plauſu fremituquè vocat nos [38] *Hedua pubes*
Ad ſeſe orantum ſimilis, ſimiliſquè volentum
Soluere thura Deo, feſtis euincta coronis.
Cauſa patet: meritæ recolit ſolennia Diuæ,
Cultu, credo equidem, de quo fert [39] *Diuio nomen,*
Vrbs bona Franciſcæ, *non vnquàm incognita Diuis.*
Ardua matronæ vultis memorandaquè facta

 Expe-

Expediam? Franciſcam 4° *oculis, mentiquè referte*
Romanam, ac pulchro memores cognomine Sanctam;
Diſcitis hanc. Virgo, coniux, atque orba marito,
Fundauitquè ſacras, ſequè ipſa incluſit in ædes,
Omnia felici ſimilis: iactabit alumna
Qua ſenior; (quantùm forti non auſus Achille
Phillyrides:) tanto gaudebit & illa magiſtro,
Sidera dùm terram, dùm voluet ſidera Phœbus.
Cernitis, vt leges viduæ, præceptaquè doctor
Chantalidi tradat? tacitis velata remittat
Virginibus ſolium cultrix, & maxima mater?
Scilicèt officij liber eſt, ac regula cultus
Fœminei ante aras, clauſæ in penetralibus ædis;
Veſtali tractanda choro: quas ritè Mariæ
Nuncupat antiſtes famulas viſentis Eliſam.
Hic amor, hæc requies, vitæ hoc ſolamen acerbæ
Magnanimo heroï, hæc merces formoſa laborum.
Queis vnus cunctis titulus benè, Nil minùs, *inſtat,*
Non plus *Herculeæ ſuperans inſigne columnæ.*
At Pater omnipotens, hominum qui reſpicit æquùs
Pectora reſquè ſimùl, tribuitque biformia iudex
Præmia pro meritis, feſſum miſeratus amicum
Accepit mercede alia, lucentibus aſtris
Indigetem tandem, ſolioque effulſit Olympi.
Iam mortis lætæ ſpecimen dulcedine ſomni
Expreſſum humentis, defectaq; membra rigantis,
Succedit ſtudijs vitæ. Sed qualibus atrum
Vexillum ſimules vmbris in tramite Solis,

Fu-

Funeris indicium? quæ luctum formet imago
Perpetuos inter plauſus, atque æthere ſummo?
Inuenit lux alma viam, mutata colorem
In violas: vt amant terreni plangere reges;
Aut negat interdùm dubia ferrugine tectus
Pro crinali auro vultum Sol flammeus orbi,
Gratior optato vel ſic, diuſquè videri.
O verè velum! ò certè cortina Sibyllæ
Delphica! nam [41] Sicùt Phœnix *reparatus Eoo*
Emicat à buſto, vincitquè in ſecula mortem,
Halanti ſuper igne volans, Titanius ales:
Haud aliter genitor, clari non degener hæres
Iuſtitiæ Solis, fragrantes inter odores
Diuinorum operum, fato perfunctus, ad altam
Euaſit patriam, cunctos victurus in annos.
Vltimus [42] *vt vitæ, ſic pompæ terminus eſto;*
Metaquè ſermonis cœpti, mirabile ſignum
Quod ſequitur, magna medium ducente caterua,
Attonitiſquè inhiante animis. Maioribus extat
Cauſa notis, ægrè tremulo ſpectanda nitore,
Fecit Monſtra, *ſinus vaſtis radiata pyropis.*
Vt [43] *patriæ prædicta fames, &, ni prece ſupplex;*
Occupet, accelerans: vt ſiccos diuite campos
Laxarit pluuia, quæ ruperat horrea meſſe.
Vt funeſta lues, ipſo mandante, faceſſat:
Pellantur morbi miſeris, partuſquè leuentur:
Accedat viſus iucundo lumine caſſis,
Sic genitis: dura compoſti lege reſurgant.

Quo

Quo ſcelerata modo Cocyti turba profundi
Liquerit ad nutum Rhomææ concaua vallis,
Obſeſſoſquè hominum (viſu miſerabile) ventres,
Horrendas rursùm Ditis damnata ſub vmbras.
Quot iuuet, aut mentem queis bruta inſania vertit,
Aut rabies: putrem quo mutet nectare Bacchum.
Quantis ille malis per caſum deniquè iactos
Eruerit quæſitus opem terræquè, mariſquè,
Sidereus ciuis, poſt & traduxerit axi.
Argumentum ingens, longiſquè annalibus aptum.
Nec mihi ſi centum [44] *ora ſonent, ſi brachia centum*
Admoueam chartis, & ſecula Neſtoris optem,
Cuncta viri poſſim (Libye quis dicat arenam?)
Prodigia amplecti nullo creſcentia fine.
Hac palmata tenùs ſancti ſpectacula Patris.
Tu verò audaci veniam da, [45] *DIVE, Camænæ*
Facta renarranti parua immortalia voce,
Miſcentiquè rudes non æqua pectine cantus
Tot lituis, cœlique choris. Pars Herculis eſto,
Forti mente pati ſterilis præconia laudis:
Impleat egregios ignoſcere poſſe labores,
Maiorquè indè noui ſurgat tibi cauſa triumphi.
Iamq; ſubi conuexa [46] *iterùm, ſedeſquè beatas*
Primorum ſuperùm, tractu ſublimior albo,
Vndè nites victor, Soliſquè iugalibus iſtis;
Te rutilare decet, meritiſq; æquare ſerenum.
Verùm agè, quandoquidèm Nemees incinximus armis,
Nunc pendere facis quæ Chriſti dona Feretri,

Lini-

Liniger [47] appare rurſùs, vittaſq; reſume,
Et baculum lenis, ſolita ornamenta, Sacerdos.
Hoc opus aſpectu nobis, non viribus vſus
Terrificis, magno dùm lætus in æthere plaudis.
Quos viuo ardor erat ſolari, ac reddere tutos,
Protege (namquè potes) celſo [48] præſentiùs orbe,
Iam numen, iam Sancte precor: ſic didita toto
Fama volet mundo, tuaquè ingens perſonet acta.
Tuquè adeò Heroi, terrarum [49] maxime Rector,
Cui commiſſa etiam cœliquè, Erebique poteſtas,
Profer, ALEXANDER, ſpatium ditione ſub ampla
Currere vtrumq; polum, &, ſiquid porrectius vltrà eſt,
Nomine metiri ſacro, diſciq; [50] per aras.
Tu ſtatuis cultum: modus, arbitriumq; dicandi
Te penes: à te omnis Superùm reuerentia pendet:
Imò vel eſſe negem, non miſſos clauibus aureis.
At pede FRANCISCVM ſtellas calcare [51] fateris
Iamdudùm, & miro magnum [52] venerari honore,
Relliquias geſtans, pictoſquè in pectore vultus,
Talaremquè viri, templis facturus, amictum.
Vnum, quod ſupereſt, genibus [53] pia Gallia preſſis
Flagitat ingeminans, cœtu tam ſæpè coacto,
Alpiniſquè bifrons cum gentibus Apenninus,
Europæ omne latus; vox vt ſolennis ab ore
Miſſa tuo edicat SANCTVM, thuriſquè capacem
Per populos. Olim prædixit [54] maxima Roma
Nam fore ALEXANDRVM, numen qui ſpargeret orbe.

AD

AD EPINICIA
NOTAE.

1 *AD hoc Pæanis genus incitat vates Muſam ſuam, vt inclytum Heroa laudet.*

2 *Propter Hydram lacus Lemani, h. e. hæreſin Geneuæ, cuius erat Antiſtes, pullulantem, & ab eo mutilatam & oppreſſam:*

3 *Vndè etiam cœlum victor potiori iure, quàm ille fabuloſus Hercules ob purgatam Lernam, præmium tulit:*

4 *Adornatur illi triumphus ab altiſsimo Dei domicilio in citimam terris ſphæram deuocato, quò ſui copiam mortalibus faciat:*

5 *Herculeus toto genere, ſacris exutus ornamentis.*

6 *Ipſe poëta ferculorum pompæ (vt aſſolet fieri) ſeſe conſtituit præconem.*

7 *Et primùm quidem deſignatur victor.*

8 *Sedes natalis deſcribitur.*

9 *Naſcitur infans ſeptimeſtris.*

10 *Cauſam deducimus ex pia quadam malacia religioſiſſimæ ipſius matris, quæ ſacroſanctum Sudarium Chriſti, Ciuarone Aneſium, in gratiam Annæ Ateſtinæ, principis fœminæ, Nemurſij Ducis, aduectum inuiſens, oſculata, & complexa fuerat. Lege hiſtoriam in compendio eius vitæ apud Chriſtoph. Giardam, Epiſc Caſtri, lib. 1. cap. 2. & in Sabaudia ſupplice Elizei Fuſconij, pag. 5.*

11 *Origo pietatis eiuſdem.*

12 *Patauio, vbi loci ſtudio iuris nauarat operam, profectus Romam, ex hac tale ferè conſilium in omnem vitam reuerſurus audit.*

13 *Vid. apud Giardam diuerſas literas Clementis VIII. ſcriptas ad Saleſium, quibus Theodori Bezæ, diſtractæ ouis, an immanis lupi, ſalutem illi atque reductionem commiſit.*

14 *Deterret Roma à iure dicundo.*

15 *In Senatu Camberiaci, in quem à Sabaudiæ Duce erat ampliſſimo loco cooptatus.*

16 *Itemque auocat à ducenda vxore, ex præclara familia cõquiſita.*

17 *Ad Sacerdotium omninò hortatur,*

18 *Vndè inſigne decus,*

19 *Vndè Cœlum,*

20 *Vndè æterna apud poſteros fama.*

21 *Redit Franciſcus ad patriam, & omnia executus, quæcunque dixerat Roma, ſegetem demùm atque materiam huic tanto triumpho dat.*

22 *Ferculorum ordo & numerus.*

23 *IESV CHRISTI, Seruatoris noſtri, ſanctiſſima Crux, omnium Chriſtianorum commune labarum, præfertur ab Angelis.*

14 *Cætera inſignia ſunt ipſius propria victoris.*

25 *Proximum Cruci, ſed longo proximum interuallo, ſubſequitur vexillum (Reliquimus) inſcriptum,*

ideſt,

id eſt, bonorum mundi contemptus: ſecundum illud Matthæi cap. 19. Eccè nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

26 *It alterum cum epigraphe ex Luc. 1. decerpta; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: ſignatque ſpem, & amorem diuinarum rerum.*

27 *Tertium cum titulo (Veni, Vidi, Vici) profano illo quidem, ſed Cæſareo, ſed omnium maximi Imperatoris proprio; & hìc non aduerſus Pharnacem aliquem, ſed Plutonem ipſum, & poteſtates tenebrarum, rei benè, & cum celeritate geſtæ argumento. Vid. Sueton. in vit. Caſ & Plutarch. Apophth.*

28 *Multæ eius victoriæ, & loca recepta.*

29 *Quartum (Sal terræ) appoſitè vt nomine, ſic re Saleſio conueniens: qui Verbi Dei & prædicator eximius, & ſcriptor fuerit. Nam de his dicitur, Vos eſtis Sal terræ, Matth. c. 5.*

30 *Theotimus, & Philothea, libri aurei, quos conſcripſit, vt reliqui taceantur.*

31 *Quæ ſubit longa rerum ſeries actorem eum celebrat, non prædicatorem tantùm. Sunt autem facta verbis difficiliora, vt inquit ille. Quarè ſequens ſignum (Nil minus) aſſumptum ex D. Paulo, 2. ad Corinth. c. 12. Nil enim minus feci ab iis, qui ſupra modum ſunt Apoſtoli: negotioſæ illius vitæ quadrat pulcherrimè in omnem partem.*

32 *Pœnitentium inſtituit ſodalitium Aneſij, in oppido Sedis Epiſcopi, iam indè à perfida defectione Vrbis Geneuæ.*

33 *Pariſiis Dominæ Accariæ, matronæ piiſſimæ, præſtò fuit quà conſilio, quà opera, & opibus, ad introducendum Carmelitanas Moniales diſcalceatas in eam ciuitatem.*

34 *Andreæ de Valle, Doctori Sorbonico;*

35 *Cardinali Berullo, PP. Oratorij in Gallia fundatori,*

36 *Bellarmino, Perronio, Baronio, itidem S.R.E. Cardinalibus,*

37 *Clementi VIII. Leoni XI. Paulo V. Summis Pontt. ſpectatiſſimus & chariſſimus.*

38 *Apud Sequanos, & Heduos, al. Burgundiones, nouum Ordinem Monialium Viſitationis B. Mariæ, Diuione primus inuenit & fixit: quibus Franciſcam Fremiottam Baronis Chantalij viduam præfecit, fœminam nobilitate ac ſanctitate conſpicuam.*

39 *Diuio, quaſi Diuiopolis, vulgò Dijon; vid. Munſt. l. 1. Coſmogr. nomen ab Diuis (ſunt Merulæ verba) queis plurimus ibi fuit cultus, impoſitum putatur.*

40 *Diua Franciſca Romana perſimilis Franciſca Diuionenſis in omni conditione vitæ.*

41 *Vexillum ſextum (ſicut Phœnix) mortem eius, ſeù potiùs æternam vitam repræſentat. Traduximus verò hoc ſymbolum ex illo Iob. c. 29. v. 18. edente Pagnino: In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies.*

42 *Settimum & poſtremum ferculum eſt Miraculorum, hac inſcriptione (Fecit monſtra) vt, quod Ec-*

 cle-

eleſiaſticus de Eliſæo propheta dixerit c.48. In vita ſua Fecit monſtra, & morte mirabilia operatus eſt: iſti Venerabili Seruo Dei congruat vſquequaquè.

43 *Miraculorum recenſio,*

44 *Quæ hùc afferuntur pauca è multis.*

45 *Apoſtrophe ad* Beatum, *vt nobis ignoſcat eum pro dignitate non celebrantibus:*

46 *Vt ſe recipiat in altiſſimum cœlum rursùs,*

47 *Induatque ſacras Epiſcopi veſtes, depoſitis Herculeis, poſt triumphum;*

48 *Vt indè mundum reſpicere denique velit, ac pro more ſuo defendere.*

49 *Epilogus ad S. D. N. Alexandrum VII. P O.M.*

50 *Vt Franciſcum in Diuorum adſcribat catalogum;*

51 *Quem colit tot annos, eius reliquias & imaginem in ſinu ſemper & complexu habens: prætereà tunicam illam fluxam induens per ſolennia ſacra (vnam ex octò veſtibus Pontificis, quas percurrit D. Hieronymus in cap. 9. Ezechiel. dictam Poderem in Ritualib. libris, ex eo, quòd ad pedes vſquè deſcendat) quam Sancti Viri propriam Moniales Viſitationis ad ipſius Beatitudinem tanquam ingens donum tranſmiſerunt. Fuſcon. pag. 36.*

52 *Vid. apud Giard. l.4.c.4. vt longiſſimam, ità pulcherrimam epiſtolam FABII CHISII, Nuncij Apoſtolici, nunc diuina prouidentia Pontificis Max. ad ſuum Nepotem Coloniæ ſcriptam; quò conſtet liquidiùs in quanta veneratione, ac ſanctimoniæ fama Pontifex eum ipſe optimus etiam tùm habuerit.*

53 *Vid. ibid. alias literas totius Cleri Galliæ è Comitijs ad id Lutetiæ habitis, ad Vrb. VIII. & Innoc.X. pro illius Conſecratione ſupplices.*

54 *Vid. orationem etiam noſtram, ſi placet, ſuprà Romæ affictam, verſ. vlt.*

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINVM,

HENRICVM MAVPASIVM DE TVRRE, EBVROVICARVM ANTISTITEM.

Cùm ad Pontificem Max. publicè miſſus de FRANCISCO SALESIO inter Diuos referendo, præuium *Conſecrationi* gradum obtinuiſset *Beatitatem*. Quo nomine ſolenne etiam illi ſtatutum Sacrificium fecit ipſe primus in Baſilica Vaticana, cùm integrę Apotheoſeos fiducia propediem conſecuturę.

O D E.

EDixit vltrò, conciliantibus
In vota Gallis, æthera Pontifex
Sedem SALESI: nunc licebit
Sidereum celebrare ciuem.
Nunc thure, & aris, & prece ſupplice,
Fixoquè lætis munere poſtibus
Aſſueſcat ambiri, capacis
Iure patrocinij Beatus.
Rem quiſquis arctam latiùs extulit,
Trahit ſequaces. Fænore ducimur:
Hac lege Perſæ fructuoſum
Solliciti coluere Mithram.

Sublimiorem Sole SALESIVM
Cernamus imi; luce SALESIVM
Benigniorem iam ſoluti
Cimmerijs veneremur vmbris:
Heu, vita duris quaſſa laboribus
Spirabat illi, & ſpretus honor ſui
Quondàm: ſed affulgentis eccè
Gaudia, mirificamquè pompam,
Seruata paucis præmia; quos pater
Dilexit æquus, pennaquè maſcula
Virtutis aſportauit altæ,
Non humiles remorata terras.
Ergò obligantem mutuus alliget
Heroa nexus, diſparibus tamen
Nodis amoris: pergit ipſe
Fundere, nos cumulare grati.
Donare, celſæ pars bona creditur
Felicitatis: ſortem inopum arguit,
Cepiſſe. Ditandi viciſſim
Pugna Deos notat, atquè Reges.
Tu mentis hæc certamina nobilis
HENRICE, præbes, vincere geſtiens:
Per regna nomen, præter Alpes
Ferre celer meritum SALESI, ac
Ritu ſacratum Romuleo virum
Cæli coruſcis inſerere ignibus.
Te nempè cirumfuſus antè
Præſidio decorauit almo.

Sic

Sic Præſul ardes tollere Præſulem
Cultu decoro. Scimus, vt aureis
Flexiſti ALEXANDRVM ſupremum
Moribus, & celebri loquela,
Primum tabellis Cælicolæ gradum
Sanciret author, non ſine poſteri
Signis honoris, fulgurantum
Pollicitus laqueare Diuûm.
Oracla vocis qui ſequitur fragor
Terræquè, Cæliquè! inſolito dedit
Clamore plauſum plebs Quirini;
Purpureus micuit Senatus.
Tequè inde duxit, nutibus obſequens
Magni Parentis, templa capeſſere
Vittata Petri, *cum tiara,*
Cum lituo, Phrygiaquè læna:
Solenne viſu quod foret omnibus,
Orator vt cui contuleras iubar,
Idem precareris Sacerdos
Indigetem, pietatis auſpex.
At Vaticano luceat hic dies
Maior quotannis, clarus adorea,
Feſtuſquè ſemper. Cura ceſſit
Menſis hero reparare [1] *Iano.*

1 *S.D.N. Alexander VII. P.M. titulum* Beati *& cultum indulſit literis Apoſtolicis dat. die 28. Decembr.* 1661. *exindè 8. Ianuar.* 1662. *primum Sacrificium ad eius honorem ſolenniter in templo Vaticano factũ eſt.*

IN D. FRANCISCVM SALESIVM HYMNVS.

I. *LAeta FRANCISCOS capit vſquè ciues*
Aula cœleſtis. Micuere magnum
Nomen & Sidus, nec inane cuiquam
Ritè precanti:
Siuè ferratas Nomadum catenas,
Siuè palleret rabiem Charybdis
Naufragæ, vel quæ mala luctuoſus
Aſtruit orbis.
Tuquè ſtellatò generoſus axe
Supplices audi, releuaquè feſſos
DIVE; ſi nomen benè prætuliſti,
Si benè ſidus.
O! iuues cuſtos dubijs periclis:
O! regas falſos Cynoſura paſſus:
More iam noto tibi, dùm caduca
Vita manebat.

II. *Nam quis horrendæ fera bella neſcit*
Viperæ, ad ripas olidi Lemani?
Quale non monſtrum genitrix creauit
Lerna draconum.
Herculis certa vice fabuloſi
Belluam vindex tutudit SALESVS:
Turba iam deſit capitum, furorquè
Mitiùs ardet.

Sic

Sic gregem paſtor tenerum Gebennæ
Fixit in tuto. Volat indè circum
Galliæ tractus, vtriuſquè portans
Signa ſalutis.
Languidum his corpus, medico ſtupente,
Gliſcit acceſſu; vitioſus illos
Deſerit mentis ſtatus; alba cunctis
Stella refulſit.

III. *Ordines at nunc ſpecioſus heros*
Inter acceptus Superùm beatos,
Iure ſubiectam potiore terram
Cernet amicè.
Cernet antiquos placidus clientes;
Nec nouis vultum renuet ſerenum;
Rebus aduerſis opifer, ſecundis
Tutor & auſpex.
Fac ità: oramus, Venerande Præſul,
Corde deuoto, genibuſquè curuis:
Fac ità: exemploquè doce trahenti
Carpere Olympum.
Si tibi, ſacra redeunte luce,
Hoſtiam feſtas niueam per aras
Roma diſſoluit, liquidoquè templum
Halat odore.
Nos Deo ſemper reſonemus vni,
Gloriam Patri, Soboliquè laudem,
Flamini Sancto decus, hinc in omne
Temporis æuum.

Idem

IDEM HYMNVS
ad vſum Sacrorum contractior.

L*Aeta* Franciſcos *capit vſquè ciues*
Aula cæleſtis. Micuere magnum
Nomen & Sidus, nec inane cuiquam
Ritè precanti.
Tuque ſtellato generoſus axe
Supplices audi, releuaquè feſſos
DIVE: ſi nomen benè prætuliſti,
Si benè ſidus.
O iuues cuſtos dubijs periclis!
O regas falſos Cynoſura paſſus!
More iam noto tibi, dùm caduca
Vita manebat.
Si tibi, ſacra redeunte luce,
Hoſtiam feſtas niueam per aras
Roma diſſoluit, liquidoquè templum
Halat odore.
Nos Deo ſemper reſonemus vni,
Gloriam Patri, Soboliquè laudem,
Flamini Sancto decus, hinc in omne
Temporis æuum.

SANCTISSIMO PATRI

AC DOMINO NOSTRO,

ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

CVIVS SEDEM ET ANNOS

IACOBVS ALBANVS GHIBBESIVS

O. A. V.

PRAEFATIO EPINICIORVM.

PErcrebuit hominum ſermone conſtans fama, Te, *Beatiſſime Pater*, pro eo, vt perpetua ſemper in FRANCISCI SALESII virtutes admiratione ferebare ac voluntate, ſic eum cunctis haud dubiè, ſi integrum daretur, venerandum gentibus, atquè colendum propoſiturum fuiſſe. Illuxit tandem ille dies, quo ſummam te rerum poteſtatem inter mortales, immò verò vltra mortalia nactum videt orbis: quo maieſtatis apex, ideſt, authoritas proximè, & ſecundum Deū totius vniuerſitatis ampliſſima, Perſonam Tuam,

 fauente

fauente cœlo terraquè plaudente, pro ſingularibus meritis bonitatis ac ſapientiæ tuæ attigit. En oculos in te, atq; ora conuertunt Reges Ducesquè; ab oraculo diuinæ vocis tuæ, vt, quem & prædicatione & cultu iamdudùm beatum ipſe celebrâſti & ſanctum, idquè ſignis minimè vanis aut dubijs; eum nunc aperta declaratione talem apud populos velis iubeaſquè, ſupplices pendent.

Da hoc communi cœlitum atq; hominum voto; da communi etiam, quæ nos circumſtat miſerrimo tempore, multiplicandi patronos neceſſitati. Sacrum regnum tuum à dedicatione tanti Herois ingredere auſpicatò, qui ſimile olim reponet officium in cœlo; cùm opus eſt, tibi.

Res viri præclarè geſtas multi authores longiſſimis libris luculenter ſcriptis abſoluerunt; Deceſſoribuſquè tuis *Vrbano* atquè *Innocentio* propoſuerunt vel ad instructionem, vel ad memoriam: Tu; cui SALESIVS totus patet, hæretquè, vt ita dicam, non animo magis, quàm cordi infixus; (non enim temerè eſt, quòd illius imaginem in amuleto depictam, ac Virgini Matri aduerſam in ſinu geris:) hanc laudum eius epitomen abs me, puſillum Poëma, in iſta mundi tam graui ſollicitudine habebis ad voluptatem.

In Alma Vrbe tua, ſub Martinalia, M.DC.LV.

CHA-

CHARISTERION PANEGYRICVM PRO TITVLO BEATI OBTENTO.

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino,

HENRICO DE MAVPAS DV TOVR,

Ex Anicienſi,deſignato à Rege Chriſtianiſſimo Eburouicarum Epiſcopo,

Reginæ Matris primo nuper Eleemoſynario, Maieſtatis Clerique Galliæ de FRANCISCO SALESIO Diuis adſcribendo apud Pontificem Maximum Oratori;

IACOBVS ALBANVS GHIBBESIVS

Bonum Factum gratulatur,

SIcuti amandi non eadem omnium eſt ratio, ità in amoris latitudine permagnam ſanè differentiam poſuerunt ſapientes viri. Nam quo quiſq; modo hunc animi affectum figat aut demonſtret, plurimùm intereſſe, dequè eo perindè ferri iudicium exiſtimârunt oportere. Mitto illa nunc amoris immania diuortia puri & impuri, fidi & mobilis, ſynceri & fallacis; quæ

poſtrema antitheta quis non videt tam aduerſari flammæ diuiniſſimi ignis, quem intelligi volo, moxq; proponam, quàm noctem diei, vel candori nigritiem? Loquor igitur cum Stoicis de huiuſmodi amore, qui eſt conatus amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis quadam præſtanti ſpecie deriuatus. Nemo philoſophorum Alexandro Macedone definiuit meliùs, cùm duobus verbis eiuſdem ἐντελέχειαν, & , vt Horatianè dicam, quintam partem tanti nectaris complexus eſt; Craterum inter & Hephæſtionem id diſcriminis, purpuratos ſuos, in ſe colendo ſtatuens non ſcienter minùs, quàm argutè, quòd alterum φιλοβασιλέα, alterum φιλαλέξανδρον appellitaret. Tanti refert, hominem reſpicias nudum ac priuatum, an cum imperio, & poteſtate.

Quorsùm iſta? nè fortè credas, AMPLISSIME PRAESVL, in hoc poëmate nuncupando de laudibus *Franciſci Saleſij*, præſtantiſſimi Herois, illuſtri nomini tuo, me pompâ ſplendoris eiuſdem proximis ſuperioribus diebus, àn menſibus, in Vrbe viſâ, procurationeq; tuâ potiſſimùm vel celeriter impetratâ, vel magnificè geſtâ perſtrictum, in eam mentem iam primùm deueniſſe, vt aut illum propter acceſſionem nouæ gloriæ ſic ornarem, aut teipſum ob gradus tot ac tantos humanæ dignitatis adirem. Quippè enim apud me frigent ſimiles cauſæ; neq; prudentis animum cuiuſquã, qui virtutem ſpectat vnicè propter ſeſe, verè poſſunt ad æquum cultum incendere. Multis antè annis, quàm tu veneras Romam, admiratione bonitatis ego viri,

dùm

dùm inter mortales ageret, commotus hoc, quicquid eſt operis, cœceperam, perfectumq; oculis ALEXANDRI, Summi Pontificis, iam indè ab ineunte principatu ſtatueram exhibendum, qui mentionem illius omnem atquè memoriam ex intimo ſenſu venerabatur. Exemplum epiſtolæ infrà ſcripti, quò liqueat, quid etiam tunc ab authore publicæ religionis contenderim, meq; hodiè perſiſtere nè tantulùm quidem immutatum à priore ſententiâ. Fui ſemper φιλοσαλήσιος, id eſt, virtutis amator *Saleſianæ*, minimè φιλότιμος, non ſectator felicitatis. Aequè occidentem Solem illum adoraui, vt orientem. Quanquàm quis virtutis comitatum neſcit laudem eſſe & honorem? & cùm nihil ipſa reperiatur aut formoſius aut pulchrius, gloriam ferè ſequi tanquam vmbram? niſi verò, ſiquis rerum tam ignarus erit atq; inſolens, qui depugnet luce vacare meridiem.

Defenſionem reuerentiæ veteris ac perpetuæ meæ aduerſus *Franciſcum Saleſium*, vigilantiſſimum & ſanctiſſimum Antiſtitem, habuiſti; ad alteram de te partem, *Vir Illuſtriſſime*, nequè nouam exiſtere naſciuè modò (tametſi detur hæc qualiſcunque teſſera nunc primùm à Muſis noſtris) obſeruantiam meam, paucis itidèm accipe. Cui non dictus Hylas? aut cuius ad aures peruenit fama Herculis, nomen Hylæ non peruenit? Eſto ſanè narratio Herculea commentum poëtarum: mirè tamen ficta res exprimit factæ veritatem; ſic, vt verſo nomine de te non ampliùs fabula, ſed hiſtoria credi meritò poſſe videatur.

Maior

Maior laborum numerus, at concurſus perſimilium glorioſè exantlatorum fecit, noſtro *Saleſius* epico in opere vt tanquàm Hercules deſcriberetur, cùm terrenus athleta, tùm præmio donatus æternis aſtris Olympionices. Nihil in egregio Præſule non par, non geminum illius decantati populorum ac ferarum domitoris: victoria præſertim factioſæ Hæreſeos ad Lacum Lemanum, veluti centicipitis Hydræ ad Lernam paludem adhæreſcentis, fideiquè & religioni auitæ ſceleratè & atrociter inſultantis; tum Augiæ ſtabuli purgationis inſtar, Caluini ſpurciſſimi gregis & haræ expiatio, intromiſſis Aquæ Virginis indè vſquè Romá viuis canalibus; multò autem maximè indifferens eiuſdem atquè communis in omnes homines beneficentia, quotquot eum ſeù patronum, ſiuè auerruncum expetebant. Ab iſto itaquè initio tractus eſt mihi ſermo, vt ſtatim canerem hunc in modum;

Alcides erat alter, erat quandò altera Lerna;

& mòx, paucis interpoſitis verſibus,

Paſtorale pedum mutetur robore claua;

quòd non aliter ſacro lituo, quàm magico illo trunco ad pulcherrima facinora vſus eſſet. Vt optimo planè iure tribui vetus verbum ei poſſit, clauam alteri de manibus extorſiſſe. Iam verò quemadmodùm ad ſpeciem conficti Herois illius quidem; ſed omnium, quotquot vnquàm extitêre, crediti ab vetuſtate clariſſimi atquè fortiſſimi, *Saleſium* noſtrum, imitatorem egregiæ virtutis minimè vanum, tanto interiectu temporis exegimus;

mus; longè te rectiùs intueri nunc licet ipſius *Saleſij* expreſſam imaginem, quippè iiſdem inſiſtentem pietatis veſtigijs, ætati ſupparem, alumnum, æmulum, ac, vti ſe generatim indicia dant, gloriæ cum eo cœleſtis aliquandò conſortem futurum.

Obruor argumentis conferendi ſimilitudines; ità multa occurrunt menti, quæ ſi velim ire per ſingula, nunquàm ſit finis. Deligam aliquot pauca igitur de bonis animi (nam quæ ſunt corporis aut fortunæ, in iis deſudantem, aut his etiam abundantem, vix quenquam magnoperè ſuſpiciendum puto, cùm beatam vitam complere nequeant) eaq; perſtringam leuiter cauſa exempli tantummodò, vt omni religionis & innocentiæ viâ quàm propè tu virum imitando accedas cùm oſtendero, tantùm te alij facem veluti præferentem non deuiis paſſibus conſectentur. Cùm animi bona dico, non ea reſtrictè Peripateticorum accipio more, verùm ad commeatum dilato, atq; præſidium virtutis vniuerſum. Quocircà genus, forma, vires, opes, diuitiæ, non penitùs excludi debent, ſiquid conducant ad illũ finem. Nam & ipſa virtus harum in vſu ac moderatione rerum, perindè vt auro incluſa gemma, plurimùm reſplendet. Quod licèt ſumatur pro conceſſo, nobilitatem tamen prætereo tuam, inter familias Campaniæ præcipuas (vtpotè à Baronibus de Turri, & ex materno latere à Gondijs Hetruriæ) ſago, togaquè, vel etiam infulatis honoribus longâ iam ſerie perinſignem. Sic nequè ſpeciem attingo liberalem iſtam tuam; neque domeſticas

facul-

facultates, quibus polluit ſemper veſtra gens.

Quid ergò? vires mihi, vires illæ corporis & animi contendendæ ſunt actuoſæ & efficaces, quibus continuo quodam ſtudio atquè inuicto labore circa ſalutem animarum induſtrius ſingulariter ipſum effingis. Totum vitæ curriculum expendenti, oriens, medium, cadens, rediuiuus mihi videris *Saleſius*. Eadem pueritiæ tyrocinia, eædem diſciplinę peregrinationeſquè adoleſcentię, virilis ætatis idem Sol atq; puluis ad palęſtram, ornamenta eadem obuerſantur ſenectutis. Hoc in ſtadio reperietur varietas fortaſſis aliqua; ſed modi, non metę. Veluti quomodò publicas theſes vniuerſę Theologię ante alterum & vigeſimum annum ſummo acumine ingenij tutatus, inter plauſus & gratulationes auditorum, in eâ facultate lauream ſubindè doctoris acceperis. Nequè verò Rhetorica, quę pręceſſit, non loquitur tuam indolem portentoſam. Etenim vix natus annos nouendecim ſacris te concionibus addixeras: cuius cœleſtis eloquentię ſpecimen etiam haud vulgare dediſti nondum ingreſſus vigintiquinque (qui erat initiationis tuę primus annus) cum in maximo Rhemorum templo, per octo ipſos feſtos dies ſacroſancti Sacramenti, in celebritate totius vrbis perorares. Quod decus vtrumque, vel alterutrum, nùm *Franciſco* eâ ætate contigerit, *Quærere diſtuli, nec ſcire fas eſt omnia*: illud vtiq; ſcio, te ad mores ipſius omni tempore adſpiràſſe.

Magis inter ſe cohęrent, quę ſequuntur. Is Henrico Magno, Gallię regi, viuebat gratiſſimus; te Ludouico

douico Iuſto, eius filio & ſucceſſori, nihil acceptius. Commendabat nimirùm vos ambos rara pietas. Quo nomine & Reginæ coniugi Eleemoſynarius datus es, & prægnanti eidem, cùm hunc ipſum Regem Adeodatum aluo contineret, integra Quadrageſima prædicator diuini verbi conſtitutus. Probatá ſic fide, rex æquiſſimus haud ità multò pòſt præmium rependere ſtabile & fixum merenti decreuit. E compluribus opimis Sacerdotijs, inter quæ archiepiſcopatus non vnus eminebat, ſedes tamen Anicienſis, optione datâ, præcipuè placuit. Moriar ariolans, vt illa, cui nemo credidit, niſi conſilium tuũ hac in re (teq; ipſum appello teſtem) rectà coniecturà fuero aſſecutus. Aniſij Allobrogum ſubijt profectò chariſſima recordatio. Non ob aliud, niſi vt caput & thronus ditionis tuæ fortunatam terræ glebam, *Saleſij* parentem & altricem, officioſo nomine referret. Σπάρταν ἔλαχες· noſti cœtera: noſti autem? imò verò, bone Deus, quàm etiam præclarè demonſtrâſti! Nihil his profectò viginti annis & ampliùs molitus es, præterquàm labore vt multo tuo magnoquè ſumptu, vel religionis eam inſignibus, vel operum magnificentià publicorum, vel morum ac diſciplinæ capeſſendæ monumentis redderes ornatiſſimam. Quocunquè ſe conuertat quiſpiam, videre licet non in primarià modò ciuitate, ſed medius fidiùs per cunctam quoquè Diœcëſin in villis & pagis, ædes ſacras, adoleſcentium ſeminaria, collegia ſacerdotum, ægrorum valetudinaria, receptacula pauperum, academias, miſſiones, ſodalitates,

litates, cùm ad honorem diuini cultus, tùm ad Chriſtianæ fidei propagationem, lautè abs te ſolerterq; conſtituta. Quibus pro tantis immortalibus beneficijs obſtrictus ille tibi populus, ac Tectoſagum vniuerſus, quomodò deceſſionem tuam ad Ebroicenſes in reditu ſit laturus, mirari ſubit. Tametſi doloris faciem præcipere iam nunc facilè mihi videor: qualem ſcilicèt pro amantiſſimo & patrono, & paſtore, & magiſtro, & parente induere par eſt.

Ita tu quoquè *Factus omnibus omnia* es; elogio prorsùs dignus iſto, quod te nuper in D. Ludouici grauiſſimè concionantem, edicto tũ primùm feſto die *Saleſianæ* dedicationis, quaſi proprium huic nouo Cælicolæ, dum degebat inter homines, audiuimus attribuere. Quid? nonnè anteacta, nonnè hodierna fidei commiſſa curæq; tuæ publica negotia clarè ſatis id oſtendunt? Non prouincia Tectoſagum ſola, quam dixi, hoc eſt, tua; ſed præfecturæ communiter omnes, quotquot brachata, vel comata, vel togata ſub ſe habet Gallia, qua de re cunq; maioris momenti per Antiſtites ſuos coacto cœtu in generalia comitia conueniſſent, quę ad Regni vel Eccleſię ſtatum pertineret, eà te vnum ſuper re pro aſſenſu regio ac diplomate obtinẽdo iterùm ac ſępius ad aulam miſêre legatum. Vndè factum arbitror, poſt repetitas acceſſiones, vt conſilij, grauitatis, induſtriæ, fidei, probitatis præſtantià tuæ penitùs introſpectà, optimus Princeps non concederet poſtulatis libentiùs, quàm poſtulantem ardentiùs amaret. Ex quo & illud incre-

dibili

dibili lætitiâ conſectarium videmus, legationes poſteà regias, vt nunc, honorificentiſſimè tibi eſſe commiſſas.

Haud temerè dixi legationes: duorum enim mandata regum tuliſti deinceps longè gentium, exhauſiſti, confeciſti. Ac primò quidem ad Virginem Lauretanam iter eſt ſuſceptum abhinc annos circiter viginti quatuor, quam Ludouici nomine XIII. voti causâ, ob natum Filium, qui hodie regnat, regnetquè porrò feliciter, cum eximio, atquè pulcherrimo dono ſalutare piè grateque debebas. Secundum iſtam votiuam oblationem opportunè ſe planè offert votorũ totius Galliæ, & cum Galliâ Chriſtiani orbis vniuerſi, præſens tua de Apotheoſi eius, quem tantoperè laudauimus, FRANCISCI SALESII, Principis & Epiſcopi Geneuenſis, non minùs fortunata cum ALEXANDRO, ſacrorum & ceremoniarum ſupremo arbitro atquè Pontifice, tranſactio.

Acceſſi demùm, quò maximè libuit, ad debitam tantæ rei tecum ipſo gratulationem. Hoc ſcilicèt illud eſt, cùm geſſeris maxima ſemper atquè clariſſima, hoc eſt illud, inquam, *Bonum Factum* in titulo præfixum, propè ſummum ac ſingulare, pro quo χαριστήριον λόγον hunc qualemcunque tam inſigni merito ſubſcribendum atquè reponendum putaui. Maluiſſem vtiquè contexere Panegyricum dignum te, niſi ieiunitatis mihi nimiæ conſcius, modeſtiſſimiquè memor pudoris tui talem ego mentem ſaniore conſilio permutâſſem. Non laudatus, ſed laudabilis videri vis; ideſt, facere potiùs

prædicanda, quàm audire prędicata, omni tempore præoptâſti. Niſi verò qui celebrat famam alicuius, quod Ageſilaus apud Xenophontem cupijſſe fertur, vt promptus ſit idem, ſi cauſa fuerit, ad vituperandum: rebatur enim rex ſapientiſſimus huiuſmodi acroäma iudicio tùm & ex veritate dari, non metu aut adulatione. Quanquàm tibi nè cum hac exceptione quidem grata laus: è contrario, quod vbiquè videre licet, altera pars etiam ſine vllâ cauſa cumprimis arridet. Veruntamen operam perdis; quicquid obſtiteris, nunquam efficies, vt ſic quaſi vmbra corpus, non præconium, vt antè monui, rectè facta conſequatur.

Quocircà Deus amet te plurimùm, oro quæſoquè ad veterum formam, tibiquè pro eo, ac mereris, benefaciat luculenter, quandò per te recente Diuo, atquè adeò inter Cœlites aduocato propitio aucti fuimus. Iamdiù ſpe ſollicitus apertæ declarationis huius pendebat ab oraculo Romano Chriſtianus orbis; regnumq; Galliæ potiſſimùm, coniuncta vtriuſque prece Ordinis, Indigetem ſuum ardentibus votis expoſcebat. Tres ab illius diſceſſu ex hac vitâ Maximi Pontifices continenter orati, nequè vnquàm interquieſcere permiſſi. Tu in re ſacrâ, veluti Scipio ille quondam Naſica, vir optimus à Senatu iudicatus, ter omninò renunciabare per cuncta ſuffragia, tanti negocij orator ad Vrbem delegandus. Poſtremus hic aduentus, accedente inſupèr ipſius Regis ſummâ & voluntate mittendi tui, & obſecratione cœleſtis Vicarij non ſuo duntaxàt, ſed

vtriuſq; pręterea Reginæ nomine genitricis ac ſponſæ; ſupplicibus verbis exponendâ, pro maturâ dedicatione ſanctiſſimi Præſulis, ob tot accepta diuinitùs eius ope palmaria beneficia, vltimam manum aliquandò diutinę ac perarduæ rei feliciter addidit.

Quo ritu, quo ſplendore, quibus notis & indicijs antiquæ pietatis ac religionis res geſta fuerit, cùm apud te loquar, totius anteſignanum triumphi, nihil hîc neceſſe duco proferre; nec per modum quidem epiſtolæ licet: cœteros extra Vrbem omnes, vel qui malâ ſuâ ſorte non interfuère pompæ, macrocola tabulariorum, & Capitolinos Vaticanoſq; faſtos, quoquo modo poſſunt, iubeo conſulere. Intereà ſi cui, vt in geographicâ tabellâ mundum, ſimiliter in narratiuncula placet hiſtoriam euoluere, huic ſubiectam Oden in fine libri, veluti pedem Herculeum, commendamus, ac perindè vt acceperit, ſi moroſè, præcentionem, ſi iucundè, prægustum aſſerimus futuram.

Habes igitur, *Præſul Ampliſſime*, conſilij in hoc edendo dicandoquè tibi opere, mei rationem ac ſummam. Quam equidem breuiſſimâ hac certiſſimaq; voce comprehendam; neq; te dignius, quàm B. SALESII ſpeculùm, offerri tibi munus poſſe; neq; digniorem, cui illud offerrem, propter contemplationem heroicæ virtutis atquè frequentiam, te vno reperiri potuiſſe. Supereſt, vt alijs potiùs, quorum in manus libellus noſter inciderit, quàm tibi, me purgem de duobus erratis, quę in hiſce literis admiſiſſe forsàn videbor, longitudine,

& lin-

& linguarum confuſione. Ad vtrumq; breuiter ſciunto; me, quicum ſermonem haberem, intellexiſſe probè: nempè eo, cui *Saleſius* perpetuum erat exemplum atquè argumentum; ſemper in oculis, ſemper in ore: ad Græca quod attinet, præterquàm quòd maiores ita noſtri factitarunt, vbi ſe quidpiam edere ſignificantiùs poſſe credebant, eundem ſic tenere & vſurpare linguam illam, vt in Romanis roſtris haud ſecùs apud nos præſens, ac ſi in medio conſtitiſſet Athenienſium Areopago, Græcè triumpharet. Quarè cùm nihil dem auribus tuis, aures mihi dari velim profitenti, ex conſulto id feciſſe, nequè culpam deprecari. Etenim conuiuæ qua ratione queas gratificari meliùs, quàm pulmentum apponendo, quod palato ſapit maximè?

De me ad extremum quod præcipuè attexam aut poſtulem, nihil habeo inuenire, niſi vt tu iam Epiſcopus Neuſtriæ factus hominem prouincialem (nam ex parentibus Britannis ob Catholicam fidem à patriâ eiectis, & in Galliâ quondàm exulibus, Cadomi natus ſum) beneuolentiâ complectaris: vndè fiet, vt confidentiam iſtam ſic accipias, vt venerationi meę primùm erga Cœlites, deinde ſyncero in te ſtudio, propenſæq; voluntati condonandam putes. Vale, *Vir ornatiſſime*, cùm mihi, tum Eccleſiæ tuæ perdiù ſaluus & incolumis.

Romæ, prid. Kal. April. M.DC.LXII.

Tra-

Traduttione dell'Ode precedente,

Iam plenis rutilat &c.

AL GLORIOSO
S. FRANCESCO DI SALE;

Nella ſua Canonizzatione, con ſolenni riti celebrata nella Baſilica Vaticana, il dì 19. d'Aprile, 1665.

Già ſplende già di piena luce adorno
FRANCESCO, all'auge di ſue glorie aſceſo;
Qual chiaro Sol, che in ſù l merigio acceſo
Colma di lampi, ed equilibra il giorno.

Tal frà di noi l'onnipotente mano
D'vna maſſa più nobile formollo;
Come che già lo eleſſe, e deſtinollo
Prence dell'Etra, e cittadin ſourano.

E tale ancor de' popoli fedeli
L'eſpone al culto il Succeſſor di Piero,
Della cui deſtra al cenno, ed all'impero
Mobil ſi rende il cardine de' Cieli.

Mobil ſi rende sì; che può à ſua voglia
De' pij, de gl'empi, all'opre giuſte, o praue;

Con

Con la ſiniſtra, o con la deſtra Chiaue;
Hor aprir, hor ſerrar l'empirea ſoglia.

Con queſta poteſtà, che il Ciel le diede;
A te, Sacro Paſtor, *là sù freggiato*
Di fulgid'oſtro, e di diadema aurato;
Su'l conciſtoro eterno offre vna ſede.

Non più Meſe si vago, e si gentile
Da Citerea s'initoli, e s'honori:
Non alle Gratie, ed alla Dea de' fiori;
Mà ſacro a più bei Numi è il noſtro Aprile.

Per due celeſti Eroi di nome eguale
Meſe si bel di ſantità riſplende:
Quel di Paola honorò già le Calende,
Gl'Idi feſtoſi hor ne riporta il SALE.

Quanto all'antiche Deità diſpari
E queſta coppia di ſacrati Eroi!
Già Roma vn ne inſerì frà i Numi ſuoi,
Hor vuol che l'altro à venerar s'impari.

Quindi ne' ſacri Annal con memoranda
Pompa preſcriue anniuerſarij incenſi
A queſti Diui, che di zelo accenſi
Ambi a noi dal ſuo ſen la Gallia manda.

Mà d'altra parte: oh, in che rabbioſe guiſe

Entro

Entro al lago Leman ſibila, e ſtride
L'Idra crudel, cui queſto ſacro Alcide
Più d'vna teſta vincitor reciſe!

Mà che pro? freme indarno empia perfidia,
Che ciò vie più gli accreſce in Ciel la palma:
E la Religion verace, ed alma
Fà, che l'empia Ereſia ſcoppi d'inuidia.

Quindi à ragion frà gl'altri honor ſupremi
Gli offre di bel candor due tortorelle,
E trè di bianca cera alme facelle,
Di ſue virtù miſterioſi Emblemi.

Come sù l'aureo tetto ardon le faci,
E le tortore il vol ſpiegano al Cielo;
Così puri di mente, arſi di zelo
Di tua luce, e candor ſarem ſeguaci.



——*latè nomen in vltimas*
Extendat oras. Horat lib. 3. Od. 3.
&
——*Tibi ſeruiat vltima Thule*.
Virgil. lib. 1. Georgic.

A TRANSLATION OF THE HYMNE ON S. FRANCIS SALES,

Lęta Franciſcos &c.

F*RANCIS, great name to many a fixed ſtar,*
VVhoſe beames in gladſome orbes refulgẽt are!
VVhoſe pure auſpicious light, and virgin fires
Kindle and nouriſh here all chaſt deſires.

Thine arme inuok'd aſunder breakes the chaines
Of Captiues; and o're raging tempeſts reignes:
Has vniuerſall povv'r, and can appeaſe
No leſſe the furious ſtormes on land, than ſeas.

Bleſt SAINT, *from thy ſublime maieſtick throane*
Vs ſuppliants vievv, beneath ſinn's load that groane:
Thy

Thy names deare ſound vve knovv, and hope from thence
Thy Starres ſvveet ſmile, and gentle influence.

Our helpe and Guardian Thou in dangers proue;
By thy Pole-ſtar may all our courſes moue:
Thy proper skill it vvas on earth, the vvay
Of Heau'n to shovv, in night to hold-forth day.

For vvho not knovvs the rebell vvarres; that take
Their birth from fovvle Lemanus Stygian lake?
That vvombe of vipers, that Lernean fen,
That neſt of ſnakes, and more then monſters den?

SALES, the Gallick true Alcides, thou
Didſt ſtrike on Hydra's breaſt the fatall blovv:
Allayd her rage is ſince; nevv heads not riſe;
Her toung's moue faintly, faintly rovvle her eyes.

A remnant of Geneua's flock, in folds
Secure, by thee once plac'd, all France beholds
Thy povv'r; both mind and body's health receaues,
VVhere e're the Golden-Lillyes ſpreade their leaues.

To ſee diſeaſes from ſick limbs depart
At thy approach, nature admires and art:
But Angells ſtand amaz'd, vvhile thee they finde
To bend the ſtiffe, and right the crooked minde.

And novv, Illuſtrious Heroe, *rang'd among*
Celeſtiall quyres, vvhere endleſſe Hymnes are ſung;
Thou look'ſt on freinds belovv, and ne're doſt faile
To ſhovvre dovvne ſtreames of grace, on earth's ſad vale.

Thyne ancient clyents thou vvith gentle eye
Doſt ſee; nor helpe to nevv freinds doſt denye;
In ſtormes an Anchour thee, in proſp'rous vvinds
A Sayle, an Helme in both each veſſell finds.

Beſt Guide, our feet from paths of errour ſaue,
VVith mindes erect, and bended knees vve craue:
Be thy example an attractiue lavv,
And all to Heau'ns bright topleſſe mountaine dravv.

Great Rome *for this, on thy returning day,*
The candid victime vvill on Altars lay;
And vvhile deuouter flames thy name inuoke,
Her temples ſhall vvith myſtick incenſe ſmoke.

To one Eternall God our hymnes vvee bring;
The Fathers glory, and the Sonnes vvee ſing;
The Spi'rit, from both proceeding, fills our lays
VVith notes diuine, and neuer-ceaſing prayſe.

AP-

APPENDIX AD VII. FERCVLVM EPINICIORVM.

ZODIACVS GLORIAE:

IMAGO

S. FRANCISCI SALESII

duodecim Miraculis redimita.

I.

Hieronymus Genimius 16. annorum adoleſcentulus, de ponte ligneo cecidit in flumen; iamquè compoſitus ad ſepulturam, ſublatis repentè manibus S. Franciſcum Saleſium, quem ſibi videre in habitu Epiſcopali videbatur, veneratus eſt.

II.

Idem aquâ tumefactus vtris inſtar, ac repletus ore tenus, aquam omnem euanuiſſe, ſequè prorſùs detumuiſſe ſenſit, cùm tamen neq; vomitu,neq; viſibili alia eiectione vel minimam quidem guttam profudiſſet.

III.

Itidem ille ipſe Hieronymus commodùm ad Sancti acceſſerat ſepulchrum gratias redditurus, cùm ab omni liuore, dolore, contuſione grauiſſimi caſus liber illicò manſit, priſtinæ ſanitati reſtitutus.

IV.

Claudio Marmord iam indè à primo ortu cæco; ſepti-

ſeptimum ætatis annum ingreſſo, cùm nouendialem ſupplicationem perfeciſſet, Sanctiq; ſepulchrum contigiſſet, probè videndi facultas impertitur.

V.

Ioanna Petronilla Eurax quinq; annos nata, paralyſi ac membrorum contractione ad motum impotens, dùm pater ipſius orat coram Sancti monumento, eccè deſilit è lecto ſana & ſalua, verſus matrem accurrens.

VI.

Simili ratione Claudius Guillard paralyticus contractuſquè decem ipſos annos, ad vrnam Beatiſſimi Viri deportatus, tertiò cùm inuiſeret, mirabiliter conualuit, ac ſuis ipſe pedibus domum redijt.

VII.

Franciſca dela Perſe nouem annorum puella nobilis, florū ſtudio ad alteram ripam cùm fluuium ponte traijceret, inter eundum chirothecam fortè deiectam retrahere volens, ſubmerſa eſt. Delata domum reuixit, ad genitricis amicorumq; preces, Sancti beneficio.

VIII.

Iacobus Guidinus, quindecim puer annorum, neruorum reſolutione & contractione membrorum valdè infirmatus, apud eiuſdem ſepulchrum nouendiali abſoluto voto, liber euaſit, ingrediens abſq; adminiculis.

IX.

Carolus item Matteron ab ipſo exortu impotens, aridus, contractus, ore toto & corpore deformis, nouem dierum terminata ibidem rogatione, quò mater in

fa ſcijs

faſcijs illum ſua tulerat, inter ſacra conſanuit, accepta hominis forma.

X.

Ioanni Claudio Richard, puerulo bienni, duæ linguæ adhæſerant nato. Particula arcæ ligneæ, in qua conditus erat Sanctus, tacta ſupercreſcens iuxta eius ſepulchrum, ſtatim euanuit.

XI.

Sorori Mariæ Iudithæ Gilbert 22. morborum generibus obſeſſę, iamq; morti proximæ, potui data ſanguinis gutta S. Epiſcopi ex aqua, illam è veſtigio ſanam fecit, ſic,vt protinùs deſerto cubili chorum adierit cum cæteris, indè ad cœnaculum.

XII.

Franciſcus Lachenal ex altiſſima rupe in profundum ſubiecti fluminis acutiſſimis ſaxis conſiti pręceps ruens; interceſſione Venerandi Serui Dei cecidit illæſus, neç obtritum ſenſit vllum.

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 16. *verſ.* 11. *in altum*. 21. 8. *certe*. *ibid. v.* 22. *ſupplex-*. 36. 24. *apud*. *ibid. v.* 25. *animum*. 37. 4. *mentionem*. *ibid. v.* 6. *ſcripſi*. 48. 4. *là sù*. *ibid. v.* 8. *intitoli*.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R O M AE;
Ex Typographia Fabij de Falco, M. DC. LXV.
Sumptibus Pontij Bernardon, ad Inſigne Virtutis.
SVPERIORVM PERMISSV.